

kanuti anno tercio. dominij absalonis. Lundensis archiepiscopi tercij. archiepiscopatus. anno octauo. domina regina danorum. G. consentiente. Cum illustri duce. W. regis fratre. et absalone archiepiscopo Stabulariis collaudantibus. quorum hec sunt nomina. Gunni. Strangi. Rogincer. ebbi. Presbiteris capellanis. Homero. Duccone. Nicolao.

98.

1188—1197.

Ärke-Biskop PETERS i Upsala Gåfvobref till Kanikerna derstädes på all Biskopstionde af Bälings och Waxala härader samt Obui i Waxala, äfvensom på 100 alnar väf det år, då Ärke-Biskopen håller visitation i Helsingland, med stadfästelse derjemte på all den fastighet Kanikerna ägde eller kunde förverfva.

A. 2 a. 3.

Vniuersis christi fidelibus tam presentibus quam futuris. Petrus dei gracia sancte upsalensis ecclesie archiepiscopus. salutem in perpetuum. Notum sit uniuersitati uestre quod nos formam antiquorum inimitari cupientes. ad confirmandum statum christiane religionis ordinemque monasticum in nostra metropolitana ecclesia corroborandum. Pro salute nostra & gregis nobis commissi nec non & episcoporum pro animabus predecessorum nostrorum. Ac prosperitate subsecutorum dedimus inperpetuum elemosinam. & sustentacione canonicis in upsalensi ecclesia deo famulantibus omnem decimam que ad episcopale ius pertinet de beling. & waxalle. & ut nullus omnino hominum hanc donacionem audeat cassare. eam pontificali auctoritate & sigilli nostri testimonio comunimus. Ad hec eisdem fratribus contulimus totum censum nostrum in waxalle de obui & in anno illo quo neophitos nostros per helsingelond uisitauerimus de beneficio nostro. C. ulnas tele ad usum illorum exponemus. Ceterum uero quascunque possessiones queque bona prefati canonici in agris. siluis. pratis. pascuis. piscationibus. decimis. et aliis redditibus in presenciarum iuste et canonice possident. aut in futurum concessione pontificis. largitione regum. & principum. uel oblatione fidelium. seu aliis iustis modis prestante domino poterint adipisci. eis firma suisque successoribus illibata permaneant\*). Si qua igitur quod absit ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis & donationis paginam. uel arte infringere temptauerit. & secundo. tercioue commonita. si non satisfactione congrua emendauerit. potestatis honorisque sui dignitate careat. reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. & a sacro corpore & sanguine dei & domini nostri iesu christi aliena fiat. atque

\*) Det följande af handlingen är skrifvet med mörkare bläck, men af samma hand.

in extremo examine districte excommunicationi omnium sanctorum subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus. sit pax domini nostri iesu christi. Quatinus & hic fructum bone accionis percipiant. & apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen. Amen Amen.

Sigillet, på en flätad pergamentsremsa; Se Tab. 2 N:o 2.

99.

1191, d. 28 Dec.

Rom.

Påfv. CELESTINUS III:s befallning till Biskop STENAR i Wexiö att lemna Biskop KOL i Linköping i ostörd besittning af hvad han och företrädare oqvaldt ägt.

B. 3: 25.

CELESTINUS episcopus seruus seruorum dei. venerabili fratri Stenaro wexionensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Officium nobis iniunctum nos ammonet & hortatur ut iniuriam patientibus assistamus. & eis per apostolice auctoritatis subsidium ad optinendam iusticiam. debitum impendamus assensum. Proinde tue deuocionj per apostolica scripta mandamus quatinus venerabilem fratrem nostrum C. lingacopensem episcopum super hiis que possidet et antecessores sui pacifice possederant iniurias afficere non presumas. sed ita eum sua iusticia gaudere permittas quod contra te requirente iusticia non cogamur animaduersionem debitam exercere. Datum laterani. V°. kal. Januarij pontificatus nostri Anno Primo.

100.

1191, d. 31 Dec.

Rom.

Påfv. CELESTINUS III:s Fullmakt för en Påflig Legat, samt Ärke-Bisk. PETER i Upsala och Bisk. JERPULF i Skara, att afgöra tvisten om gränsen emellan Linköpings och Wexiö Stift.

B. 3: 25.

CELESTINUS episcopus seruus seruorum dei. dilecto filio. C. sancti Laurentij in lat. \*) presbitero cardinali apostolice sedis legato Et venerabilibus fratribus P. vpsalensi archiepiscopo & J scarensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Causam que vertitur inter venerabiles fratres nostros. C. lingacopensem et S. wexionensem episcopos super terminis episcopatum experientie vestre duximus committendam & appellacione remota fine debito terminandam per apostolica scripta mandantes quatinus partibus ad vestram presenciam conuocatis audiatis que fuerint hinc inde proposita diligenter. et causam ipsam appellacione remota mediante iusticia terminetis Quod si omnes hiis exequendis nequueretis interesse. duo uestrum ea nihilominus exequantur. Datum laterani II kal. Januarij. pontificatus nostri anno primo.

\*) Förkortningen tvetydig; Se Tab. 1 n:o 3.